



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quę dicantur aures audiendi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

& præmia, & diuersa dona; esse in Ecclesia maiores & minores pios, omnes tamen magnos. Quia in comparatione S. Augustinus l. de Sancta virginitate versatur, ut ostendat virgini præceptis Dei obediens maius esse præmium constitutum, quam mulieri Dei præcepto obediens. Statibus enim ibi Augustinus cap. 4. accommodat, qui solet virginum esse perfectior.

Coniuges multi etiam bonis virginibus meliores.
§. 3. Aptè prudenterque veteres ista statibus accommodarunt: Tametsi enim pij coniuges interdum viduis, virginibus, atque ipsis adeo confessoribus, & martyribus sanctiores inueniantur; si tamen status ipsos spectes, habent inter se analogiam, qualis fructuum est. Martyrum terra fertilis, sanguine suo rursata, gladijs arata, vngulis occata, quæ adeo alto semen exceperit sinu, radicesque depreflit, ut viscera potius tyrannus, quam verbum Dei potuerit excindere; quin laceris in membris latius exuberaret: exemplum igitur fuit centupli martyra patribus proponitur. Quia supremus caritatis apex est, pro Christi caritate mori.

Status virginum perfectior.

Alij centesimum, alij sexagesimum virginitati tribuunt, pro suo quisque sensu; Nam & uera cum terra bonæ obest, curæ, opes, voluptates mundi, quibus sementis verbi Dei suffocatur, maxime ea fuguat virgines, quarum vnica cura est, ut Deo, non mundo, aut marito placeant: itaque si cætera paria sint, status ille, quo remotior est à mundi etiam licitis voluptatibus, eo magis regno cælorum fructificat. Quæ omnia etiam in pios, & secundis nuptijs, renunciantes viduas suo gradu conueniunt. Quod vero à martyribus, alij à virginibus initium fecerunt; ratio est, quod martyres in Ecclesia non statum aliquem esse, sed ex persecutione publicum fortitudinis documentum esse putarunt.

§. 4. Hæretici nostri veterum sese sobolem profitentur, cum eadem patribus obijciunt, ad quæ olim illi responderunt. Hieronymo Ioviniani sectatores obiecerunt coniugium ab eo damnari, quod virginitatem præferret, ille, in apologetico aduersus Iovinianum, ad Pammachium.

Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptijs nascitur præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, si aurum pretiosius est? Aut arboris & segetis contumelia est, si radices & folijs, culmo & aristis præferantur poma & fructus? Ut poma ex arbore, frumentum ex stipula, ita virginitas ex nuptijs. Centesimus & Sexagesimus, & tricesimus fructus, quanquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, quia & ipsa digitorum Coniunctio, quæ molli osculo se complexans, & federans, maritum pingit, & coniugem: Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia, & tribulatione sint posite. Vnde & superiori digito deprimuntur: quia quanto maior est difficultas, experta quondam voluptatis illecebra abstinere, tanto maior & præmium. Porro numerus centesimus (quæso diligenter Lector attende) de sinistra fertur ad dexteram: & ipsam quidem digitum, sed non eadem manu, quibus in laua, nuptia significantur & vidua: Circulum faciens, exprimit virginitatis coronam. Oro te, qui hæc loquitur, damnat nuptias? Aurum virginitatem, argentum diximus matrimonium, centesimum, tricesimum, & sexagesimum fructum de vna terra exposuimus, & de vna semente generari licet multum differat in numero, & quisquam tam iniquus lector erit, ut non ex meo dicto, sed ex suo me sensu iudicet. Et certe multo clementiores erga coniugia sumus, omnibus pene latinis & Graecis tractatoribus, qui centesimum numerum ad martyres referunt, sexagesimum ad virgines, tricesimum ad viduas: atque ita fit iuxta illorum sententiam, ut de bona terra, de patris familias semine excludantur mariti. Verum, ne in principio cantus, in reliquis forsitan improvidus fuerim: nonne post partitionem opusculi, cum ad quæstiones veni-

rem, statim intuli: Vos quæso viri, quæ sexus virgines & continentis, mariti quoque & bigami, ut conatus meos orationibus adiuuetis. Cunctorum in commune Iovinianus hostis est. Quorum ergo orationibus indigeo, & quos adiutores meos præcor, eos possum Manichæi errore damnare?

VERSUS 9.

Qui habet aures audiendi, audiat.

QVÆSTIO I.

Quæ dicantur aures audiendi?

§. 1. *Quæ dicantur aures audiendi?* scilicet aures ad audiendum sunt, quæ id efficiunt, ad quod data sunt, nempe ut doctrinam accipiendo intellectionem min' stent. Prouocamur autem ad dictorum intelligentiam, inquit Hieron. comment. quoties huius sermonibus commemoramur.

Caluiniani qui horrendo Dei decreto, reprobos nihil nisi peccare posse contendunt, aures audiendi more suo solis electis tribuunt. Caluinus l. 3. c. 23. §. 13. [Præcipit Christus ut in se credatur, neque tamen vel falsa est eius definitio, vel præcepto contraria; vbi dicit, Nemo potest venire ad me nisi cui datum fuerit à Patre meo.]

Cursum igitur suum habeat prædicatio, quæ adducat homines ad fidem, & continuo profectu in perseverantia contineat. Neque tamen impediat prædestinationis cognitio, ut qui obediunt non tantum de suo superbiunt, sed in Domino gloriuntur. Non abs re dicit Christus. Qui habet aures audiendi audiat. Ergo dum exhortamur & prædicamus, qui auribus præditi sunt libenter obediunt: qui vero carent, in illis impletur quod scriptum est, ut audientes non audiant. Cur autem (inquit Augustinus) illi habeant, illi non? quis cognovit sensum Domini? Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendendi non potest quod occultum est: Hæc deliter ex Augustino retuli.

Sed quia plus forte auctoritatis habebunt eius verba quam mea, agendum prodeant in medium quæ apud ipsum leguntur: Nunquid si hoc auditum nonnulli in torporem segnitieque vertantur, & à labore proclues ad libidinem post concupiscentias ante: propterea de præscientia Dei saltum putandum est quod dictum est: Nonne si Deus illos bonos fore præscit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur: & si malos fore præscit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter huiusmodi causas, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda? tunc scilicet quando, si non dicantur, in alios itur ceteros.]

Hæc Augustinus, cuius verba ad suam hæresin detorqueere conatur Caluinus, qui tantum ab illius Manichæismo abest, quantum cælum à terra. Primum enim fatetur nescire se cur hi habeant aures audiendi, non habeant illi: non autem dicit esse quosdam qui non possint habere.

Deinde ait, eos quos Deus præsciuit fore malos, eos fore malos in quantalibet nunc bonitate cernantur: at Caluinus eos qui mali futuri sunt, in vlla vnquam bonitate versari posse negat. Nam præscio Dei decreto, & potentia irresistibili negant Caluiniani reprobum vnquam aliud facere posse, quam peccare. Nam quicumque ait Caluinus l. 3. instit. c. 23. §. 12. sunt ex reproborum numero, ut sunt vasa ad contumeliam formata, ita non desinunt perpetuis flagitiis iram Dei in se prouocare.

VER-